

h. 100, 15

X 200 5178

Y b  
494

Trias Epigrammatum

A R Æ

In Æde Cathedrali Freibergensi

Impensis & curâ

Fratrum Germanorum

*Amplissimorum, Spectatissimorum, insigniq; rerum*

*Experientiâ Celebratissimorum Virorum*

**DN. AUGUSTI ROTHII,**

Serenissimi Electoris Saxoniae Discretorii

in Grünthal Praefecti,

&

**DN. CONSTANTINI ROTHII,**

Eidem Serenissimo Electori Saxoniae a Mo-

netariorum Dresdensium Praesidio,

Renovatae

&

*Festo Epiphaniarum Christi*

*Anno M. DC. L.*

In honorem & cultum DEI

sacratæ,

*Μνημοσύνης ἕνεκα conscripta*

*ab*

Ephoro & Symmystis


Cathedralibus.

---

*Freibergæ Typis Beutherianis.*







**R** Apicolæ celebrent Divis sua júbila, Seclī  
Nunc ubi currentis lustra peracta decem.  
Fratres *ROTHIADÆ* celebrant sua júbila  
*CHRISTO,*

Nec sine re fidei dant documenta sua.  
Namq; Cathedralis renovant Altaria Templi,  
Quæ *MATTHÆUS AVUS* struxerat antè *D. B. O.*  
Id quoniam rarum est hoc pravo tempore donum,  
Quo neglecta simul Templata Scholæq; jacent:  
Nos non immeritò tantum pietatis amorem,  
Elogio laudis divite prosequimur.  
Inprimisq; novas facimus libamina ad Aras,  
Devoti q; tuam, *CHRISTE*, precamur opem:  
Da sacrata Tibi sint hæc Altaria semper,  
Nullius hæretici polluat ista manus!  
Absit Calva cohors, omnis Missarius absit,  
Atq; triplex monstri Bestia Sacrifici!  
Hic juxta Verbum tua sancta Cibaria Cœnæ  
Accipiant verâ speq; fideq; Pii!  
Da quoq; *ROTHIADIS*, quæ poscunt, prospera fata!  
Da tandem celsi Júbila læta Poli!

*Paulus Sperling SS. Theol. D.*  
*Pastor & Superintendens.*

**H**actenus innumeris, tanto sub turbine  
rerum

*Aris cessit honor, qualis habetur haris.*

Armatis etenim manibus Mavortis alumnus

Dum licitum quodvis censuit esse nefas:

Non duntaxat *haras*, sed divas insuper *Aras*

Diruit, & sacras despoliavit opes.

Hinc tot sunt *patrias* incendia visa per *oras*,

Quæis æqvata solo Templâ Scholæq; jacent.

Mens animi melior *ROTHIA* de Gente gubernat

Fratres, & verâ quæ pietate cluet.

Inde Cathedralis Templi, decoramine pulchro,

Aræ structuras amplificare sinunt.

Nam quia Majores ipsorum sumptibus illam

Exstruxere suis, Hi renovare volunt.

O pulchrè factum! Sic posthuma fama manebit,

Quam Genus, & largæ promeruerit manus.

Ejusdem simili si quis conamine Templi

Organicum majus nunc repararet opus:

Eximium pietatis opus præstare, magisq;

Illustrare suum posset in Urbe genus.

*μνημόσυνης Έβενδα*

*scr.*

**M. Balthasar Wagner**

Archidiaconus.

*1. Hact-*

1. **H**actenus intentè celebravimus annua Christi  
tempora Natalis Flamme dante bono.  
Quèis sacer Aligerùm cætus delapsus Olympo  
exultans hilari concinit ore Deum.  
Grataturq; homini reparata dona salutis,  
utq; bonæ terris tempora pacis eant,  
unanimes exposcit voto, pecudumq; magistris,  
qui mediâ teneras nocte tuentur oves,  
illuxisse diem jam tandem, nunciat, orbi,  
quâ Deus adsumto corpore natus homo.  
Tempora grata, quibus nobismet reddita lapsis  
gaudia, quèisq; homini vera reperta salus.
2. **H**actenus ardenti zelo celebrata per urbem  
illa dies, Anni quæ solet esse nova.  
Illa dies, Christi quâ circumcisio facta,  
quæ Salvatori Nomina sancta tulit.  
Quâ se pro nobis Legi subjecit Jësus,  
Sanguinis & salvans guttula fusa fuit.  
Solveret ut Mundum maledicto Legis ab omni,  
staret & in fuso sanguine vita piis.
3. **L**etitiæ solitis celebrat solemne Magorum  
nunc Festum numeris credula turba DEI.  
Quò longâ instituunt Orientis sede profecti,  
quod succensa Polo fax nova signat, iter.  
Inquirunt natum miro conamine Regem,  
ingressi muros, Urbs Solymæa, tuos.

Hic ubi scribarum Legis accita peritum,  
turba illos Bethlae visere tecta docet.  
Namq; ibi sub dias venturum luminis oras  
Regem Michae dogmata dia ferunt.  
Ergo adeunt Bethlae, Solymorum sede relicta,  
moenia, dum rursus fax nova pandit iter:  
Tecta q; designat, vili quævis stramine Regem,  
corporis inveniunt membra locasse sui.  
Poplite quem flexo proni reverenter adorant,  
seriaq; invento pectore vota ferunt.  
Nec satis esse putant, summisso accedere vultu,  
Et verbis gestus explicuisse suos;  
Verum etiam oculis præstanti munere gazas  
promentes Pueri dant sua dona novo.  
Dona Auri, Et liquido manantis cortice Myrrhae,  
Et quæ Sole legit Thura perustus Arabs.  
Thura Deum, sed Myrrha hominem, Regem aurea  
signant  
Munera. Sic triplici fulget honore Puer.  
Salve festa dies, multos sperata per annos,  
quæ Lumen Christus gentibus ipse fuit.  
Per quem Japhitis versatilis ostia caeli,  
quæ sceleris fuerant obice clausa, patent.  
Qui nos tartareâ de fauce Et sede reductos  
participes Regni fecit Et instituit.

4. Ro-

4. ROTHIADUM Festo hoc Fratrum par nobile  
summo

Qui bona dat cunctis, fert sua dona, DEO.  
Nempe horum impensis in Virginis Aede Mariae  
largis exstructa est Ara venusta nimis.  
His etenim a teneris Jhova servire voluptas,  
flammaq; sincerae Religionis inest.  
Hanc Aram docto SPERLINGIUS ore sacravit  
Ti DEUS in Caelis, Ti DEUS inq; Solo.  
Hanc precibus calidis, Sacramentoq; dicavit  
Ti DEUS in Caelis, Ti DEUS inq; Solo.  
Fac DEUS, exstructa Monachum grex absit ab Ara,  
Iconoclastarum sit procul omne nefas.  
Ne tua tot furiis his infernalibus Ara  
in spolium veniat sancta decore suo.  
Tu prohibe haereticum nostris cervicibus enses,  
qui spirant totis viribus omne malum.  
Qui Tibi blasphemam jaciunt convicia voce,  
Te et aq; conspurcant Nominis alta Tui.  
Maenia qui rapidis male consumsere favillis,  
quiq; abolent cultus, magne Jehovah, Tuos.  
Structa sed in laudis divinae perstet honores,  
Numinis in cultum, Nominis inq; decus.  
Fac, bene Rothiadum multos per temporis annos  
floreat & vigeat clarificata domus.

Fac,

*Fac, tuus Augustus, Constantinusque perennent  
cum Pare, cum Gnatis omnibus incolumes.  
Et, nobis Cælo qui nunc novus imminet Annus,  
Illis propitio sidere prosper eat.  
Durarum tandem post tot discrimina rerum,  
Rothes Cæli prosperitate bea.*

M. Carol Lincke.

FINIS.



2/6. 994

17

17

17





h. 100, 15

In Æde  
Frat  
*Amplisimorum,*  
*Experientia*  
DN. AU  
Serenissimi B  
in  
DN. CONS  
Eidem Seren  
netarior

*Fest*  
In hor  
M  
Ep  
*Freib*

Y b  
494

